








P E T R I M V L L E R I,  
 D. CONS. SAX. ET PROF.  
 C O M M E N T A T I O I V R I D I C A  
 D E  
 V E R B I S  
 M I N I T A N T I B V S,  
 o d e r:  
 v o n D r a u W o r t e n.



F R A N C O F V R T I E T L I P S I A E,  
 I 7 7 0.



F. F. R. I. M. W. L. E. R. I.

D. J. O. H. A. N. N. E. S.

G. E. N. E. R. A. L. L. I. B. R. A. R. Y.

V. E. R. B. I. S.

M. I. N. I. S. T. R. A. T. I. O. N. A. L.

D. O. C. U. M. E. N. T. A.

C. O. L. L. E. C. T. I. O. N.

1750





C. D.

PROOEMIUM.

**O**ptime Aristoteles *1. Polit. c. 11.* philosophatur: *Nihil equidem, ut loquimur, frustra facit natura: at soli homini prae caeteris sermonem concessit. Et Cicero lib. 1. offic. Natura, inquit, vi rationis hominem conciliat homini, et ad orationis et ad vitae societatem. Paulo post ait: Eius (societatis) vinculum est ratio et oratio, quae docendo, dicendo, communicando, disceptando, iudicando conciliat inter se homines, coniungitque naturali quadam societate. Nam oratio est animi index, imo operum simulacrum; ea quippe quae in opus prouunt, prius animo concepta verbis indicantur, et e voce agnoscimus, facie non conspecta, nam sua cuique vox: ita ex oratione licet hominis vitam coniectare. Si animus bonus est, sermo non erit improbus;*





bus; sin malus, simile superuacuum pleno manat de pectore. Lingua, infert Hugo *lib. 1. d. anima*, dicitur, quia lingit adulando, mordet detrahendo, attrahit mentiando, ligat, et ligari non potest, labilis est, et teneri non potest, sed labitur et fallit. Labitur vt anguilla penetrat vt sagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, mouet rixas, seminat discordias, vno ictu multos percutit, et interficit, blanda est subdola, et parata ad exhaurienda bona et miscenda mala. Qui custodit linguam suam, custodit animam, quoniam mors et vita in potestate linguae est:

*Format enim natura prius nos intus ad omnem  
Fortunarum habitum: iuuat, aut impellit ad iram,  
Aut ad humum moerore graui deducit, et angit:  
Post effert animi motus interprete lingua.*

Horat. *in art. poetic.* Hinc Synesius Cyrenus dixisse fertur: Mentis quasi vestitum quendam verba esse, quibus induta, ea incedit, et vel bene vel male adornatur: quemadmodum et in corpore: hic autem speciem, aut deformitatem hominibus conciliat. Non autem satis est, loquendo male egisse, vel etiam promississe bene, nascitur omnino ex sermone naturalis obligatio, quae sciendi ius dat alteri, qui cum agimus, id quod egregie monstrat Henr. Uffelmannus moralium Professor quondam Helmstadiensis in *dissert. d. iure, quo homini homo in sermone obligatur, cap. 4.* vbi ex iure naturae leges de recto sermonis vsu format, quarum *prima et fundamentalis est: Sermone quisque suo ad*

*com-*





*communem utilitatem uti, idque sedulo cauere debet, ne ex illo quicquam detrimenti capiat tranquillitas et salus publica. Ex qua lege promanat haec generalis: Ne quis sermone suo ius alterius violet, neue ipsi iustam querelarum causam praebeat. Ex generali porro illa consequuntur aliae; quarum prima hoc vult: Nequaquam famae, honori, aut estimationi alicuius esse detrahendum. Neque enim in bene constituta Republica toleranda est pessima ista linguae pro-cacitas, cum ex verbis, quae leuissima res quandoque videtur, odia grauiissima et inimicitiae oriantur, ac calumnia soleat opprimere, quod eminent: illa quippe est aculeus inuidiae h. e. mendax et malitiosa infamatio virtutis aut felicitatis alienae, et scelere exquisito in aliquem conflata versutia. Hoc quoque animaduertendum est in communi vita, quod male feriat homines criminationibus non acquiescant, sed magis magisque vt noceant, asuescant operibus, ita vt nec secum cogitationes ferre, sed lingua quoque eas proferre effutireque non erubescant. Stultitiae tamen suae pretium ferunt, sibimetipsis malum parantes, dum non sine dispendio facultatum suarum atque estimationis eluctantur, imo vitam suam amittunt. Saepius enim effectum esse, vt, dum ad occultandum secreta mentis suae impotentes extiterunt, ansam iudici, vt suum faceret officium, hoc est, ad auertendum malum, quod futurum est, vel ad facinus, quod commissum et praeteritum est, puniendum inquireret, ius super facti contingentia, administraue-*





rit, experientia testatur. Proinde animus mihi est, publici speciminis loco vim verborum minitantium, nempe I. *Quid sint Minae, et verba Minitantia, et quomodo Diffidationes differant a Minis.* II. *Quinam dicantur minari.* III. *De Personis, in quas minae iactantur.* IV. *Quaenam incommoda secum trahant verba minitantia, et in specie, quatenus ad cautionem de non offendendo praestandam Minitator teneatur, et denique V. Quatenus Minae indicium in delicto commisso faciant ad torturam proponere.* Deus, in cuius gloriam studia mea a puero direxi, huic labori clementissime benedicat. Sit ergo

## C A P V T I.

Q V O D P R O P O N I T

# Q V I D S I N T M I N A E E T V E R B A M I N I T A N T I A.

S V M M A R I A.

- TH. I. *Verbum dicitur a verberando, vel etiam ab ἐπέω.*  
 II. *Verbum accipitur vel Generaliter pro quavis dictione, vel Specialiter pro parte orationis per tempora et personas.*  
 III. *Minae a mino i. e. pello. Alii a graeco ἀπειλή derivant.* IV. *Verba Minitantia quid sint. Verba vel ore proferuntur, vel literis exprimuntur.* V. *Quomodo Diffidatoriae literae a Minis specialiter dictis differant.* VI. *Duo neces-*

neces-





*necessario requiruntur ad diffidationem, quorum vnum si abest minae simplices sunt. VII. Quando quis verbis aut literis minitatur certae alicui personae malum, quod ipsum solummodo, non etiam vniuersitatem aut totum populum concernit, pro diffidatione non habetur. VIII. Idem est, si quis nudis verbis Vniuersitati, Pago vel Oppido incendium minetur. IX. Differunt verba Minitantia ab Admenatione.*

## THES. I.

**V**erbi nomen dictum volunt, quod *verberatu aëris formetur*, siue, quod *illo verberetur aër*. In Scaliger *lib. 5. d. caus. L. L.* et multo ante eum Priscianus, *initio lib. 8.* Item Isidorus *lib. 1. cap. 8.* Verbum dictum, eo quod *verberato aëre sonet*. Idem sentit P. Consentius de verbo. Propterea verba appellata sunt, quoniam scilicet oratio fieri non possit, nisi *aëre verberato*. Et Adamantius Martyrius apud Cassiodorum de Ortograph. idcirco per B. quam per V. in secunda scribi ait. Stabilis hanc etymologiam, quod Plautus Amphitry. dicat, Mercurii aures voce verberari: Itemque illud Aufonii ad Tetradium: *Auresque sermo verberet*. Imo et *Verbera* pro *Verbis* posuit Priscianus in Periegesi:

*Pfittacus hic viridis decoratus torque rubenti  
Nascitur, humanae simulat qui verbera linguae.*

For-





Fortasse verius est, *verbum* venire ab ἐρέω, dico. Vossius in *Etymologico linguae latinae voc. verbum*. Varro a *veritate* deducit, quod verum nos loqui oporteat.

#### THESES. II.

*Verbum generaliter* accipitur pro quavis dictione, quaecumque ea sit orationis pars; Aliquando *specialiter*, pro parte orationis per tempora et personas declinabili, ῥῆμα. Vnde verbale nomen dicimus quod a verbo originem accepit. Calepin. in *lexic. voc. verbum*. Quandoque *opponitur rebus* siue factis; hinc verba dare pro decipere ponitur. Nonnunquam non singulas tantum dictiones verbi nomine complectimur, verum etiam solidas orationes. Ita Comicus: *Vetus verbum hoc quidem est, Communia esse amicorum inter se omnia*. Plura vid. ap. Calep. d. l.

#### THESES. III.

*Minae*, dictae a *mino* h. e. pello, vt cum *minare pecus* dicimur. Nunnescius in *Grammat. sua* censet, *minas* vocari a Graeco ἀπειλή, quod eiusdem est notiois. Nempe vt non modo λ abeat in Ν, quod crebrum; sed etiam π in Μ, quomodo a πίπειρος fieri *maturus* idem arbitratur. Aliis *minari* a *manendo* h. e. eminendo, dictum placet: contra *eminere*, potius a *minis* dici sit verisimile. Maro i. *Aeneid.*

*Geminique minantur  
in coelum scopuli*

Vbi





Vbi Seruius: *minantur, est eminent: vt Minasque murarum ingentes. Item, illa usque minantur. Ita Minae dicuntur altitudines murorum Virgil. Aeneid. 4.*

- - - propugnacula bello

*Tuto parant, pendent opera interrupta minaeque  
Murorum ingentes.*

ibi Seruius: Minae eminentiae Murorum quas *pinnae* dicunt. Sed Vossio dicto loco verb. *Minor* neque *eminere* a *minis* dici placet: quod Seruius velle videtur: neque item *minari* a *manendo* s. *comminendo* deducere visum, quod nonnullos velle indicat Perottus. Plura vid. ap. Matth. Martin. *in lexic. Philog. voc. minae*; Est etiam verbum *MINOR*, *minari*, s. *minas inferre*, terrorem alicui incutere denunciatione periculi. Dicitur et frequentatiuum *Minitor* s. *impetuose minor*. Veteres pro *minari* dixerunt *minare*, pro *minitari* *minitare*. Priscianus *lib. 8. Multa similiter accipiuntur vt partio et partior, munero et muneror, mino et minor, minito et minitor, meridio et meridiore* etc. Sed posterioribus seculis *mino* et *minito* longe aliud fuit. Quippe eo Ecclesiastici Scriptores vsi pro *pecus agere*. Imo alii quoque vsurpant: vt Aufonius de Myronis bucula.

*Nec tum caduco sole iam sub vespere*

*Ageret iuuenas cum domum pastor suas,*

*Suam relinquens me minabat vt suam.*

Dicitur et *Minitans* per participium. Germanice vocantur:

B

die





die Dreuung et Drauing, it. das dreuen, et das drohen, Minax, ostendator der Droher oder Dreuer, vid. Spatens Teutscher Sprachschatz in voc. Dreu p. 331.

THESES. IV.

Verba itaque minitancia sunt enunciationes, vel scriptura, vel ore prolatae, quibus aperte significatur, quod quis velit alteri nocere aut damnum inferre. German. Drau = oder Drohwort. Differunt autem haec a Minis, ut angustius et latius; nam minae peraguntur etiam gestibus, et signis; secus ac verba minitancia quae vel ore per sonitum vel per scriptionem quandam seu literas exprimuntur.

THESES. V.

Et quanquam *Diffidatoriae literae*, Absage Schreiben, oder Fehdebriefer, etiam sint minae, sunt enim denunciationes animi hostilis, quibus quis alii cuiuspiam significat, se eum armis, igne, spoliis, rapina etc. persecuturum, Ludou. Gilhaus. in arbor. crimin. cap. 2. tit. 8. n. 1. definit: quod sint belli ac extremarum inimicitiarum denunciationes. add. A. B. cap. 17. Differunt tamen a literis minitatoriis seu minitantibus; illae sunt minae qualificatae et diffidationem proxime sequitur vis publica, quippe haec per illam annunciatur, eo enim ipso, dum publice indicat, se diffidandum armis, igne, spoliis, caedibus, rapinis etc. persecuturum, serio declarat, diffidandum a diffidatore nihil aliud quam vim publicam expectare debere. Minantia verba

ba





ba simblicita non sunt diffidatoria, neque vim publicam subsecuturam inferunt. Quam differentiam tam ratione atrocitatis, quam infecuturæ poenæ, et simul si verba sint dubia, num pro Diffidatoriis, num minitatoriis sint habenda quid dicendum optime colligere licet ex placitis Ictorum Saxoniorum non editis, ibi: Nachdem nunmehr durch eine Constitution verordnet, daß der, so conditionaliter absaget (als wenn du mir so viel nicht wirst geben, so will ich dein abgesagter Feind seyn, dich brennen an Leib, Leben und Guth beschädigen) soll als ein ander Wehder gestrafft werden; So ist ein großer Zweifel vorgefallen, was für ein Unterscheid, zwischen Wehden und schlechter Bedrohung solle gemacht, und wie eines von dem andern könnte erkandt werden, weil ein Wehder mit dem Schwert gestrafft, der aber, so einem betrohet, zu einer gnugsamen Caution soll angehalten werden. Und nachdem dieser Punct auf der Schöppenstühle Vergleichung ausgesetzt, so haben sie sich mit einander dergestalt vereiniget, nehmlichen, weil aus unsers gnädigsten Herrn Lands: Ordnung zu befinden, daß die so einander bößlich weheden, wegen der Strafe den Landfriedbrechern zu vergleichen, so ist die Absagung, welche in Erwegung der Worte, und aller Umstände dem Landfrieden zuwieder laufft, vor ein feindliche Absage oder Wehde zu halten, und darum wenn einer einem absaget, oder ihme Feindschafft zuschreibet, oder Brandzeichen stecket, und also oder sonst, ihn mit Raub, Brand, Mord, sein und den Seinigen zu beschädigen, betrohet, und wehedet, daß solche feindliche Wort und Abkündigung, so gemeinlich





niglich zu vieler Leute Unruhigung und Verderben gereichen, proprie vor Bheden zu halten, und in diesem Fall, wenn iemand wegen der Bhede mit dem Schwert soll gestrafft werden, sollen die Umstände gleichwohl darneben erwogen werden, daraus sein feindlich und vhedlich Gemüth zu nehmen. So aber iemandes, und sonderlich Adels und wohlbesessene Personen, ohne Austreten und bewegtem Gemüth, Trunckenheit, oder auch in Meynung sich selbst zu rächen (welches doch nicht seyn soll) drohet mündlich oder schriftlich andern zubeut, als sie an ihrem Leib und Leben zu beschädigen, Kugeln zu wechseln, und dergleichen, solches wäre mehr für Drohwort, denn für eine rechte Bhede zu halten; Aber im Zweifel, so ein Schreiben vor einen Bhedes-Brieff wird angezogen, welches verba dubia hat, so auf einen oder andern Weg, als des rächens, tädlichen Vornehmens, auf die Bheden, oder aber uf Drohwort verstanden werden können; als, ich will mich an dir rächen, ich will mit dir zu thun haben, ich will dir es gedenden und dergleichen, sind nur vor Drohwort zu halten. add. D. Strykii *diff. exhibens collationem iuris Saxonicæ Nouissimæ et Romani cap. 4. §. 20.*

THESES. VI.

Hinc apparet ad veram Diffidationem duo necessario requiri, nempe (1) vt ad minas factum aliquod accedat, quo persecutio extrema vitæ, corporis aut bonorum inimico denunciatur; veluti emissio literarum Diffidatoriarum, vel signorum hostilium Diffidatoriorum suspensio et affixio;  
et

et



et (2) vt per eiusmodi minas pax publica violetur, et inde hostilia non vni personae, sed toti populo seu vniuersitati sint expectanda; sequitur, horum requisitorum alterutro deficiente, minitationem; non pro Diffidatione, sed pro nudis minis habendam esse, Carpzov. *practic. crim. part. 1. qu. 37. n. 65. vbi seq. num. 66. infert*: ideoque, si quis alicui verbis nudis tantum incendium, inflammationem et simile minetur (Er wolle ihm einen rothen Hahn aufs Haus setzen) licet eiusmodi minae non solum minati personam, sed totum populum et communitatem concernant, cui incendium vnius domus nocere potest, vt quod proximas quoque soleat arripere, Wesenbec. in §. *item L. Iulia de vi publica n. 4. Inst. de public. Iud.* ea tamen pro Diffidatione, quae poenam gladii meretur, nequaquam haberi debent: quia alterum Diffidationis requisitum, quod est factum accedens, vt emissio literarum vel affixio signorum inflammationis deficit.

THESES. VII.

Simili modo pro Diffidatione non habetur, quando quis verbis aut etiam literis, alioque facto minitatur certae alicui personae eiusmodi malum, quod ipsum solummodo, non etiam vniuersitatem ac totum populum concernit; veluti si dicat aut scribat: Er wolle einen erschieszen oder ihm eine Kugel schencken; quia alterum requisitum Diffidationis, quod est damnum seu malum imminens toti populi seu vniuersi-






tati deest. Carpzou. *pract. crim. p. 1. qu. 37. n. 68.* adeo. que eiusmodi denunciationes certae personae factae, pro nudis tantum modo minis haberi debent. Wesenb. *in dict. S. item Lex Iulia de vi publica n. 4. Inst. de publ. Iud. Arum. ad A. B. c. 17. discurs. 6. th. 17.* Reinhard. Rosa *ad Dan. Moller. Const. Elect. 15. n. 6. part. 4.* Beust. *ad l. monendi 31. de iureiur. n. 1179.* Nam et hoc casu ratio, ob quam in diffidatores poena gladii constituta est, deficit, nimirum metus ac timor, qui vniuersitati s. populo vniuerso incutitur, vt antea dictum. Carpz. *d. l. n. 69.*

#### THESES. VIII.

Idem, ac in praecedenti casu dictum est, obtinet, si quis nudis verbis vniuersitati, Pago vel Oppido incendium minetur (Er wolle das Dorff anstecken, und in die Aschen legen) Autor *Consult. Saxonie. part. 4. qu. 36. tom. 2. n. 5.* vbi ait: Drauwort werden verstanden mündliche Absage und Betraumungen, die calore iracundiae, aus Zorn, Bewegnuß, Trunkenheit oder dergleichen, und bißweilen durch Beschickung und Werbung geschehen, wider dieselbe hat die constitution, so wider die Landzwinger gemacht, nicht statt, Paul. Matth. Wehner. *in pract. obseru. verb. bevheden.* Cuius rei ratio esse potest quod nempe Constitutio Prouincialis diffidatores propterea gladio puniri velit, quia hominibus et vniuersitati timor incutitur, ac publica pax violatur ac turbatur, vt vicini vi-

gilia





gillas agere, domi se continere ac agriculturam, aliaue negotia negligere cogantur, vt apparet ex *Ordin. crimin. art. 128. Wefenb. in d. §. item Lex Iulia, de vi public. n. 4. Inst. de publ. Iud.* Atqui solis minis verbalibus eiusmodi metum ac timorem incolis non iniici, vel ex eo constat, quod nudis verbis minitans calore potius iracundiae hoc fecisse praesumatur, quarum effectum vicini solummodo metuunt. *Carpzov. p. 1. pract. crim. qu. 37. n. 65.* Ergo solae minae verbales diffidationem non faciunt, nec minitator gladio feriri debet. *Carpzov. p. 4. c. 15. def. 5.*

## THESES. IX.

Denique differunt Minae et verba minitantiā ab *Admenatione*, quae est, definitore D. Ioh. Alex. Christ. *dissert. de Admenatione cap. 1. §. 5.* delictum priuatum eleuatione manus, vel ad iniuriam, vel ad vim, vel ad vulnera necemue inferendam commissum; Angel. Aretinus *tr. de malefic. sub rubric. de poen. plur. delinquent.* admenationem dicit esse actum cum cultello, vel manu, vel bastone. Apparet hic quod vocabulum admenationis plus denotet, quam minae, et minus, quam impetus aut insultus. Eine Bedrohung wenn eine Hand, Messer, Dolch, oder ein ander Waffnen gegen den andern freuentlich wird aufgehoben, oder gesucht. Equidem in latiori sensu vocis minarum comprehenditur Admenatio, tanquam atrox quaedam aliqua comminatio.





## C A P V T I I.

## T R A C T A T

QVINAM DICANTVR MI-  
NARI, ET AD QVID SE OBLIGENT  
MINANDO.

## S V M M A R I A.

- I. *Ex verbis nascitur obligatio. Homines vero voluntate et potestate delinquendi destituti non obligantur.* II. *Etsi furiosi non obligentur, si tamen minentur, custodiendi sunt.* III. *Impuberes Infantes ob verba minitania effusa certis casibus virgis deterrendi sunt.* IV. *Impuberes infantiae proximi a malis committendis poena deterrendi.* V. *Pubertati proximi puniendi veniunt, sed ordinario mitius.* VI. *Recto iudicio pollentes a verbis minitantibus sibi temperant. Iudicia grauium Virorum super praecipitantia circa minas afferuntur.* VII. *Quomodo intelligendum: minas esse delictum.* VIII. *Accidit quandoque vt quis verbis minari possit extra delictum.*

## T H E S. I.

**E**quidem ex verbis nasci obligationem naturalem ac ciuilem, ex titulo *de verb. obligat.* satis constat, semper tamen praesupponitur persona ad obligantum habilis. Cum vero minae annumerentur delictis, necesse est requiratur homo voluntate et facultate delinquendi  
prae-



praeditus. Hinc homines voluntate ac potestate delinquendi destituti, quales sunt vel propter morbum animi, vt *Furiosi*, durante infortunio *l. 12. ad l. Corn. de Sicar.* vel etiam propter aetatem vt *Infantes et Impuberes* doli nondum capaces per *d. l. 12. atque 23. d. furt.* Anthon. Matthaei *d. crimin. in proleg. c. 2. n. 2.* Tabor. *racemat. crim. 1. th. 21.* vel propter ignorantiam circumstantiarum, vel potius propter exilium mentis, vti sunt *extreme Ebrii c. sane c. 15. qu. 1. arg. c. 14. d. vit. et honest. Cleric. c. 7. qu. 1.* proprie delinquere non dicuntur.

THESES. II.

Quoniam *Furiosi* actiones proprie non dicuntur actiones humanae *l. vlt. in fin. d. administr. tut.* ac mens eius se ipsam non noscit, miserabilisque ignorantiae infortunio premitur *Nou. Leon. 112.* imo non habet animi destinationem *arg. l. 4. iunct. l. 2. de concub. nec intelligit quod agat §. 8. Inst. de inutil. stipulat.* omnique intellectu caret *l. 14. d. offic. praesf. et extra mentem positus c. 15. X. de regular.* nullus erit consensus, nullaque obligatio *l. 2. C. de contrah. emt.* Vnde furiosus comparatur in iure nostro lapidi seu regulae de tecto cadenti *l. 5. §. 2. ad L. Aquil. quadrupedi d. l. 5. §. 2. mortuo l. 14. locat. l. 8. §. 2. de opt. legat.* Vt nec delinquere possit vid. *Couarruv. tom. 1. velect. clement. si furiosi. de homicid. part. 3. num. 1.* *Carpzov. pract. crim. p. 3. qu. 145. n. 24.* adeo vt nec furti obligetur *l. 2. d.*

C

con-





*condict. furtiu. §. 7. Inst. de oblig. quae ex del. nec ex rapina, nec ex damno iniuria dato l. 5. §. 2. ad L. Aquil. nec ex iniuria, si pulset, verberet, aut conuitium dicat, vti hoc furiosorum fere proprium est per c. aliquos 5. c. 15. q. 1. Nec furiosus reipublicae obligatur, nec poena aliqua tenetur, vt proinde immunis fit furiosus a crimine et poena laesae Maiestatis tum diuinae Decian. tr. crim. lib. 6. cap. 5. n. 7. tum humanae l. vnic. C. si quis Imper. maled. homicidii tum simplicis l. 12. ad L. Cornel. de sicar. tum qualificati v. gr. parricidii l. 13. §. 1. l. 14. de offic. praesf. et aliorum criminum, de quibus videatur ICTissimus Ioh. Andr. Frommanus Antecessor Tubingensis de publica re, si quis alius, optime meritus in elegantissimo tractatu de Iur. furiosorum singulari pag. m. 64. Quoniam tamen verba minitantium furiosorum pro nihilo non sunt habenda, praecauendum erit omni modo malum, non aliter ac canes nostros et alia rationis expertia animalia, maxime domestica, non dubitamus a damnis inferendis seu pauperie includendo ea repellere, ita et furiosos compedibus aut vinculis detinere rationi omnino conuenit l. 13. §. 1. l. 14. d. offic. praesf. Carpzou. lib. 4. Resp. 61. n. 3. et pract. crim. p. 1. qu. 18. add. Molina d. I. et. I. tr. 3. disp. 38. n. 3. Aliud est si furor sit interuallatus, eo enim tempore cum habeant mentem et intellectum l. 14. de offic. Praesfid. et vt sani aestimentur Paul. Zachiae quaest. medic. legal. lib. 3. tit. 1. qu. 21. n. 26. impunitatem furor eiusmodi non tribuit in delictis d. l. 14. d. off. praesf.*

T H E S.





## THE S. III.

*Impubes infantis*, seu qui nondum explevere septennium, cum intellectum nullum habeant et quid agant, ignorent §. 10. *Inst. d. inutil. stipul.* perinde ac furiosi perpetuo mentis exilio laborantes l. 5. §. pen. ff. ad. L. *Aquil.* delinquere non dicuntur, cum obligatio ad poenam subeundam, ex delictis descendens, praesupponat praesumptum in delinquente consensum; dum scil. eo ipso, quo prohibitio- nis aut illegalitatis non ignarus delinquit, poenae se subijcere voluisse creditur, Grot. *d. Iur. bell. et pac. lib. 2. c. 20. §. 2. circ. fin.* Brunnem. *exerc. iust. 23. pr.* Si tamen infans quidam praeter solitum versutia polleat, et qualiquali iam malitia et delinquendi capacitate prae aliis emineat, iudicis arbitrio relinquendum est, an talem ob verba minitanti- a ef- fusa, v. gr. se velle cultro alium quendam puellum interficere, si cum indignatione proferat ac forsitan geminet, vel eadem iteret, vt abstineat et praecaueatur malum, virgis deterreri potest, D. Stryk. *dissert. d. poenis impuber. cap. 2. n. 204.* vbi ait: coercitiones domesticas scholasticasque in infantum persona, si debita discretionem adhibeantur, huic aetati magis, quam vlli alii, proficuas euadere: haec enim vti cerea est in vitium flecti, ita si iusta moderatione poena- rum a peruerso quo inclinabat, tramite reuocetur, tanto rectius postea in virtutum stadio percurrendo pergit.





## THESES. IV.

*Impuberes infantiae proximi*, quamvis doli capaces non sint, et Doctores eos simpliciter infantibus aequiparandos existiment vid. Carpzou. *p. 3. qu. 143 n. 30. add. l. 1. in fin. C. de fals. monet. l. 1. §. 15. deposit. l. 111. de R. I. l. 4. §. 26. de dol. mal. et met. except.* vt propterea minae si proferantur ab eiusmodi personis, flacci sint habendae, cum nullus in iis sit consensus et furiosis comparentur. §. 10. *de inutil. stipulat.* Haunold. *de I. et I. tom. 3. tr. 8. cap. 3. n. 190.* Praecauenda tamen sunt mala inde metuenda et poenis deterrendi vel castigandi, praesertim vbi doli capacitas haud obscuris signis in iis conspicitur, si quid delinquant, ne delinquere adsuescant propter liberam delictorum comminationem Sfort. Odd. *de restitut. in integr. part. 2. qu. 80. n. 45.*

## THESES. V.

*Pubertati proximi*, cum sensu et intellectu plenius gaudere incipiant, satisque percipere valeant, quid agant, delictorum formaliter talium capaces sunt. *l. 111. d. R. I. l. 23. de furt. l. 14. ff. ad Sc. Silanian.* Carpzou. *p. 3. qu. 43. n. 31.* vt hi quidem puniendi veniant, sed ordinario mitius.

## THESES. VI.

Recto pollentes iudicio sibi a verbis minitantibus temperant abstinentque ab iis. Ita Chilon, referente Laert. *lib. 1.*





*lib. 1. cap. 4.* dicere solebat, nulli minandum, non solum quod mulierum videatur esse potius, quam virorum, verum etiam quod minitari ei cui velis nocere, est inimicum admonere ut sibi caueat, sibi que ipsi laedendi facultatem adimere. Amicis autem minari, parum est humanum. Et Polydorus Alcamenis filius, teste Plutarch. in Laconicis, cum audiret quendam in hostes minas effundentem: Non intelligis, inquit, te maximam vindictae partem frustra consumere? Qui enim statuit inimicum vlcisci, minis nihil aliud efficit, nisi ut praemonito inimico, sibi minuatur laedendi opportunitatem. Sic Christoph. Forstnerus *in not. polit. ad Corn. Tacit. annal. lib. 2. pag. 361.* prudenter ait: stultissimi sunt, qui minis et hostilem animum ostendentibus verbis temperare non possunt. Nec enim debilius fit hostis, et testante Seneca (in Medea) *professa perdunt odia vindictae locum.* Qua in re notatur Galeatius Sforza, quod minitaretur vel potentissimis Regibus, quorum aliquam in se iniuriam agnosceret, eo que consiliorum ipsius initium et finem simul cognita et eandem imprudentiam in Alfonso Calabriae Duce arguit Guicciardinus *in historia lib. 1.* Ludibria enim et contumeliae ut plurimum efferatos et obstinatos reddunt hominum animos. vid. Tabor. *de Admenatione.*

## THESES. VII.

Quod vero dictum: minas esse delictum sc. respectu eius, in quem euomuntur; facile diiudicare licet, eas non





aliter pro talibus haberi posse, quam si ex voluntate animi et dolose iactentur; vbi in dubio praesumitur animus dolosus, adeo vt reus eum abfuisse asserens probare teneatur *l. 5. C. d. i. iur.* Sin autem minae factae fuerint animo sedato; aut quis nimio animi calore in minas prorumpat, cessat praesumptio delicti, Farinac. *lib. 1. tit. 5. qu. 50. num. 27.* Daniel. Clafenius *ad Sanction. criminal. Carol. V. art. 32.* Voluntas enim et propositum distingunt maleficia *l. 53. pr. de furt. c. cum voluntate 54. X. d. sentent. excommunic. causa et intentio principalis consideranda l. si quis 4. de reb. cred. nec factum quaeritur, nec facti spectatur euentus, sed voluntas et causa faciendi l. verum. 39. de furt.*

#### THE S. VIII.

Accidit quandoque vt verbis quis minetur licito modo extra delictum. Sic apud Laertium *lib. 1. c. 4.* Chilon dixit: Recte tamen minamur, quoties aliquem hoc remedio correctum esse cupimus, et hac poena decreuimus esse contenti. Eo modo minatur Propinquus, Praeceptor vel Magistratus grauiorem poenam, si in posterum idem factum culposum aut delictum perpetraturus sit; imo sententia iudicis haud raro continetur: mit Bedrohung (Verwarnung) daß wo er dergleichen Frevel künfftig verüben würde, Er mit höherer Strafe angesehen werden solle. Ita non solum minis, sed multa, imo etiam carcere, dissentientes sponsum et sponsam ad reconciliationem et votorum consummationem adigere

gere





gere potest Iudex ecclesiasticus. Meu. p. 4. dec. 44. n. vlt.  
D. Stryk. in annot. ad Brunnem. Ius Ecclesiast. lib. 2. c. 16.  
n. 7. Item per *Iocum* vel *Lusum* proferri possunt verba mi-  
nitantia, quae omnia monendi, docendi, absterrendi, non  
vero iniuriandi animo, et magis affectu propensiori quam  
dolo malo prolata censentur Angel. Aret. de malef. verb.  
*Imperiosa.*

### C A P V T I I I.

D E

## PERSONIS MINITANTIS s. IN QVAS VERBA MINITANTIA IACTANTVR.

### S V M M A R I A.

- I. *Homines cordati ne moueantur minis: quandoque tamen mo-  
uent aliquem ut peiora metuens aliquid faciat, imo contra-  
hat.*
- II. *Iactantur minae vel in publicas personas, vel  
priuatas; et vel directe vel indirecte.*
- III. *Minarum ver-  
balium iustus metus non est. Dantur exceptiones: ut con-  
tractus rescindatur.*
- IV. *Quando quis nudis verbis, vel  
gestibus absque omni alio facto, actu aut praeparatione ad  
percutiendum. caedem minatur, si ipsum minatus occidat,  
nullatenus a poena homicidii ordinaria sese liberare potest.*
- V. *Aliud est, si cum minis terror armorum, maxime lethali-  
um insultatum in vitae discrimen adducit, tunc vel plane  
absoluendus, vel extraordinaria poena plectendus.*
- VI. *Mu-*





*Mulier ob minas praecedentes metuens iram et indignationem Parentis si occiderit partum recens editum, non poena ordinaria, sed gladii punienda.*

THESES. I.

**E**quidem cordati homines minitancia verba non adeo timent, cum prouerbii vicem bene obtineat; Sicut aliquando tonat sine fulgetris, itque tonitru terrorem habet, periculo vacat: Ita quorundam minae terrent, non nocent. Erasmi. Sic Orator missus ad Pyrrhum Epirotarum regem, qui iam exercitum in regionem Spartanorum induxerat, ut cognosceret, quid sibi vellet: cum Pyrrhus diceret, ut regem Cleonymum reciperent, hunc in modum respondit: Si Deus est Cleonymus, non timemus ipsum, nihil enim sceleris in eum commisimus: si homo est, profecto nihil nobis praestantior et bellicosior. Quo dilemmate irrisit superbas regis minas. Qui enim superbe minantur aliis, videant, ne id, quod aliis minantur, in ipsos recidat. Plutarch. *in Lacon*. Prout tamen hominum malitia non vna eademque est variatque, ita etiam contingit quandoque, ut minae alterius quem adeo adigant, ut peiora metuens aliquid agat, unde obligetur ad aliquid vel dandum faciendumue, vel ad poenam quandam sustinendam.

THESES. II.

Iactantur minae vel in personas publicas scilicet publica auctoritate pollentes, vel in priuatas, et quidem vel indirecte  
in



in alios, ad quos etiam pertinent, seu per consequentiam in societate politica vel oeconomica; vel directe, et pro diversitate personarum earumque conditione minae aliae sunt atrociores, aliae leues, quemadmodum iniuriae, sine quibus minae vix efferuntur, ita diuiduntur, quae genera ex facto, loco, persona aliisque circumstantiis aestimantur §. *atrox.* 9. *Inst. de iniur.* Schneidew. l. 7. §. vlt. l. 8. l. 9. l. 15. §. 28. l. 17. §. 3. Inprimis in minis attendendus est sexus, nam maior metus sese exerit in Foemina, quam in Mare.

T H E S. III.

Equidem minarum metus simpliciter pro iusto non aestimatur in minitatio, sed vanus est ex parte causae inferentis, si alicui infamiam quis minitetur, tales enim minas frustra quis metuit l. 7. §. 1. *quod met. caus.* fundamentum enim famae in honestate morum, vitae probitate aliisque qualitatibus positum, id quod nec atrocissimae iniuriae euertere queant. D. Struuius *Syntagm. iur. ciuil. exerc.* 39. th. 25. Hinc si quis propter minas illatas aliquid promittat vel contrahat seseque obliget, negotium validum est, nec praetensu illati metus potest rescindi, vanae enim timoris nulla excusatio est l. 184. d. R. I. aut aestimatio, et eiusmodi meticulosum indignum fieri auxilio censet Colleg. Argentor. ad *tit. quod met. caus.* Non enim vanae iactationes, minitancia verba, aut contestationes siue extraiudiciales protestationes coram vicinis et amicis metuendae sunt,

D

sed





sed atrocitas facti *l. 9. C. eod. i. e.* periculum salutis et cruciatus corporis et similia *l. 13. C. de transact.* D. Parens in *additionibus locupletissimis ad incomparabilis Struuiani Syntagmatis exerc. 8. th. 12. lit. I.* Si tamen atroces et capitales minae cum actu quodam in delictum proxime tendente sint coniunctae, et minitator sit homo vindicativus, ein rachgierig Blut, et consuetus suas minas illico executioni dare *l. 7. 9. quod met. caus. lac. Ayrrer. in process. part. 1. n. 60.* et ab eo profectae, qui exequi facile solet minas. *l. 7. l. 9. quod met. caus.* vel ex aliis rationibus executio iuste metuenda sit, Zoef. *ad d. t. n. 16.* id quod actum stricti iuris ratione habita valet, sed succurritur minitato praetoria actione, sc. quod metus causa, vt in integrum restituatur vid. Brunnem *ad l. 7. C. quod met. caus.* Vel etiam minae ab eo proficiscuntur, qui ex potestate sibi concessa subiectos sibi in Republ. habet, vt si potestate sua abutens terreat aliis; verba minitancia tanquam probabilis metus suspicio pariunt rescissionem contractus. Brunnem. *d. l.*

#### THESES. IV.

Quod *delicta* attinet, dicendum est, quando quis vel nudis verbis, vel gestibus, absque omni alio facto, actu aut praeparatione ad percutiendum, caedem minatur, si ipsum minatus occidat, nullatenus a poena homicidii ordinaria sese liberare posse Petr. Theodoric. *disp. crim. fin. th. 5. lit. e.* tum quod nudis verbis aut gestibus minator  
non-





nondum incipit offendere et facto insultare, neque procedit ad actum proximum, ideoque tunc verbis obsistere, non autem ad manus et ferrum deuenire licet; alias si pro folis verbis verbera referentur, analogia defensionis minime seruaretur, Iadoc. Damhouder. *in. pract. crim. c. 76. tum*, licet minae verbales terrorem alicui incutiant *l. 1. in fin. C. si quacunqu. praedit. potestat. l. 1. C. si Reſtor. prouinc* non tamen per illas praefens et tale vitae periculum imminet, quod aliter verbis, vel iudiciali autoritate propelli et declinari nequeat. Et certe multi reperiuntur Thraſones, qui alicui ex friuola ſaepe cauſa ſatyraſ et mortem minantur, quorum tamen comminationes ſtultae non pluris faciendae, quam fulgur ex vitro, aut quanti nugae obſetricum, et delirantium iam vetularum, v. Carpz. *pract. crim. p. 1. qu. 29. n. 57.* vbi poenam ordinariam eiusmodi minitato minitantem occidenti a Scabinis Electoralibus diſtataſ fuiſſe refert.

## THES. V.

Si vero cum minis terror armorum, maxime lethalium, insultatum in vitae discrimen adducat, in vitae autem discrimine constitutus iuste se vsque ad internecionem alterius defendere iure poſſit. *l. 2. C. de ſicar.* quare non et insultatus, qui huiusmodi metum patitur? Mar. Salom. *in repetit. l. 3. d. I. et I. Mynſing. 3. conſil. 27. n. 3. 4. et 7.* Hinc Carpz. *pract. crim. part. 1. quaest. 29. n. 57.* ait: Quando minas iactans ſimul ſe praeparat ad minarum executionem, veluti





manus ad gladium admouendo, brachium eleuando, stringendo aut enudando gladium, arripiendo lapides, bombardam e theca eximendo, aut aliter ad offendendum se praeparando; vel quando aduersarius minatur ictum cum ense, quem iam manibus tenet, aut venit contra aliquem cum cultello vel ense, ita vt terror et metus extremus actui proximus adsit *l. 3. §. 5. de vi et vi armat.* tunc certe insultatus in vitae discrimine constitutus primum ictum expectare non tenetur, sed sibi in tempore bene prospicere potest, et si defendendi sui gratia minitorem occidat, a poena legis Corneliae de sicariis immunis est, et vel plane absolui, vel ob commissum excessum moderaminis inculpatae tutelae arbitrarie relegatione vel carcere puniri debet, tum ob textum *in l. quid est 3. §. qui armati 5. de vi et vi armat.* tum ob *artic. 140. §. fin. Sanct. crim. Carol. V.* tum quod melius sit in tempore occurrere quam post exitum vindicare *l. 1. post med. C. quand. liceat univ. sin iud.* tum quia praesens armorum, terror offensionis proximus est, potentia autem actui proxima censetur esse in ipso actu. *l. 1. §. 21. l. 18. §. 2. d. aqu. poss.* et ita pronunciatum esse refert Carpz. *d. l.*

#### THE S. VI.

Hoc quoque notandum, quod si Parens minatus sit filiae, si impraegnata sit celetque atque pariat, quod velit ad interuersionem fustigare, Er wolle sie auf Türckisch bis auf den

den





den Tod prügeln, et filia metuens indignationem patris occidat recens naturam partum, quod propter minas in hoc delicto temperetur poena, quae ordinarie culei est, et gladium dictari visum aequius sit, tum, quod ii, qui minis seu metu coacti, delinquent, aliquo modo excusentur. Iul. Clar. *in pract.* §. *fin. qu. 60. n. 17.* Bertaz. *consil. 173. n. 8. lib. 1. et consil. 266. n. 3. lib. 2.* nam propter metum delinquentes videntur coacte delinquere: coacta autem voluntas non est voluntas, *l. velle non creditur ff. d. R. I.* vbi Gloss. et Decius *n. 1. d. R. I.* tum quod quaelibet iusta credulitas, imo etiam causa iniusta a poena ordinaria excuset Iul. Clar. *in pract. crim. §. fin. qu. 60. n. 22.* v. Carpzou. *pract. crim. p. 1. qu. 18. n. 50.* vbi simili ferme in casu pronunciatum fuisse refert. *num. 53.*

## CAPVT IV.

## TRACTAT

QVAENAM INCOMMODA SECVM  
TRAHANT VERBA MINITANTIA ET IN  
SPECIE, QVATENVSMINATOR AD CAV-  
TIONEM DE NON OFFENDEN-  
DO TENEATUR.

## SUMMARI A.

- I. Minae ex infensissimo prodire solent pectore.
- II. Praesumitur verba minitania spargens de minato male cogitare.
- III. Ob minas sponsalia possunt dissolui.
- IV. Recusari potest Iudex minans.
- V. Minator non potest alterum de cri-





mine aliquo accusare; neque contra minitatum testis esse, neque ex minitatoris effatis specialis inquisitio decerni. VI. Probatis minis minator potest carceri mancipari, et minitatus, minatori, si non habeat unde se alat, alimenta suppeditare. VII. Ex carcere non aliter dimittitur Miniator, quam si cautionem de non offendendo praestet. Quae cautio praestanda est a minatore, etiamsi carceri nondum inclusus, actione in factum. Potest iudex ex officio cognoscere; potest minatorem peremptorie citare. VIII. Accusatus potest petere spatium ad deducendam sui defensionem. IX. Praestanda est cautio vel per pignora, vel per fideiussores. X. Praestat cautionem, etiamsi qui petit sibi cauere, causam inimicitiae dederit. XI. Quid si nulla certa quantitas sit expressa in cautione, arbitrium statuendi penes iudicem est. XII. Num iuratoria cautio locum habeat? Referuntur sententiae DD. XIII. Affirmatur certis sub conditionibus. XIV. Maritus saeuens et minas euomens tenetur cauere.

THES. I.

**M**inator tam erga proximum, quam semetipsum grauius peccat, seseque ex facto obligat illicito. Nam cum verba minitancia, v. g. quod quis alterum velit occidere, aut insigniter ei nocere, nihil nisi odium et inimicitiam concilient capitalem; Mascard. de probat. conclus. 900. num. 14. Card. Tusch. conclus. 149. lit. I. n. 4.

Si





Sichard. *ad l. 22. C. d. procurat. n. 3.* Crauetta *consil. 35. n. I.* Schrader. *vol. 2. consil. 27. n. 22.* et ex folis minis de occidendo inimicitia oritur. Mascard. *d. l. n. 14.* non enim non possunt eiusmodi minae ex inferfissimo prodire pectore; vt nec destinguendum sit cum Mascard. *d. l. n. 15.* Wesserb. *p. 1. cons. 43. n. 153.* Salycet. *ad l. 1. C. quand. lic. unicuique sine iudic. n. 11.* vtrum is, qui minatur tantae potentiae sit, vt possit minas effectui dare, aut etiam vtrum solitus fuerit minas exequi, an non; saepissime enim vel impotentissimi nobis sunt infensissimi, eoque magis exacerbantur, quo minus quoduis propositum ad exitum perducere possunt, D. Ioachim. Hoppius *dissert. d. inimicit. capitalib. th. 10.* vid. tamen Farinac. *tr. crimin. lib. 11. tit. 5. qu. 49.* cum et raro iniuriae a minis abesse, imo insertae soleant esse, quae non ex alio, quam maligno atque odii plenissimo pectore proficiscuntur, vt, illis legitime probatis, inde manifesta sit inferentis inimicitia.

#### THE S. II.

Sequitur inde, quod praesumatur verba minitania spargens, tanquam inimicus de minato tanquam inimico et vice versa male cogitare, sibi que inuicem insidias struere, ac mala cupere continuo. Mascard. *de probat. vol. 1. concl. 98. n. 2.* Besold. *p. 2. cons. 295. n. 1.*

#### THE S. III.

Quamuis amantium irae, dicto Comici, amoris redintegratio esse soleant, et ob inimicitiam inter sponfos ortam  
non





non sint dissoluenda sponsalia; cum, contractis sponsalibus, Deo obligatio sit quaesita, a qua ideo se pro lubitu liberare nequeunt contrahentes. Meui. p. 2. decis. 210. Carpzou. in *Jurispr. Eccles. lib. 2. def. 173.* Finckelth. *obs. 42.* Si tamen iudex adeo obstinatos animaduerverit animos, ut nullis conciliationis mediis flecti queant, praesertim si sponsus sponsae minatus sit: Er wolle sie frumb und lahm schlagen, sie solle keinen guten Tag bey ihm haben, vel sponsa sponso, sie wolle ihm kein gut thun, wolte ihn zum Cornuten machen etc. praestat omnino rescindere sponsalia, quam thalamo vi extrema alligare. Menoch. *de arbitr. Iudic. quaest. cas. 455. n. 1.* Vbi enim non est mutuus amor Coniugum, ibi discordia distrahit mentes, impedit inuocationem Dei, turbat totam domesticam consuetudinem, viamque patefacit tragicis et quibuslibet tristissimis casibus. Carpzou. *Jurispr. Eccles. lib. 2. def. 176. n. 14.*

#### THES. IV.

Quando iudex minatus est, Er wolle Meuius es einsten gedencen, unde de ipsius erga hunc animo maleuolo queat constare; et Meuius conuenitur a Caio, ille vero probat minas fuisse prolatas aduersus ipsum, dubium vix erit, quod omnino contra iudicem inimicum tuto excipere illumque ut suspectum repudiare possit *l. 9. pr. de liberal. caus. arg. l. 10. de Iuris. c. secundo 41. in fin. X. de appellat. c. inter. 5. X. d. except.* Schrater. *vol. 2. conj. 27. n. 8.*  
et



et 9. Perez. *ad tit. C. de iudic. n. 24.* Etsi iuramento adstringitur iudex, quod cum veritate et legum obseruatione iudicium velit disponere, *l. 14. C. de iudic.* tanta tamen est humanae naturae imbecillitas, vt affectibus abrepti homines nihilominus in vetitum nitantur, et insuper habito Sacramento, ea quandoque vindictae cupiditate committant, quae perpetrare, etiam non data fide, religio est, Zieglerus *de offic. iudic. concl. 13. §. 33.* vbi etiam §. 35. ob leuiorem offensionem recusari posse iudicem asserit. add. Garf. Mastrill. *decis. 151. n. 46.* Idem dicendum, si Meuius minatus sit Iudici, Er wolte ihm einen Schimpff beweisen, nam nihil interest vnde causa inimicitiae, culpa partis (nisi dolo esset procurata, ad hoc, vt eum recusare possit; quia fraus sua nemini prodesse debet. *l. 1. §. 1. de dol. mal. et met. except. l. 1. pr. l. 12. d. dol. mal.*) culpaue iudicis veniat. D. Fromman. *disp. de inimicit. th. 25.*

THESES. V.

Qui male de altero sensit minatusque vindictam ipsi est, procul dubio inimicum se profitetur, vt nec alterum de crimine aliquo possit accusare, *c. fin. caus. 3. qu. 5. c. 7. 10. 13. X. de accusat.* cum nemo maiori calumniae suspicionem laboret, quam inimicus. Zoel. *ad ff. tit. de accusat. n. 7.* neque potest crimen denunciare. *c. 19. X. de accurat.* Farinac. *praet. crim. lib. 1. tit. 2. qu. 12. n. 40.* neque Testis esse, *l. 3. pr. in fin. de testib. auth. si testis C. eod. Nou. 90. c. 6.*

E

c.





*c. repellatur. 7. c. 10. 13. et 19. X. de accusat. can. 2. et seqq. caus. 3. qu. 5. Butrigar. de testib. cap. 1. n. 15. quia inimici facile mentiri creduntur l. 1. §. 24. de quaestor. et tantum id intendere, vt eum, quem odio habent, pessumdent, ac perdant, Iodoc. Damhoud. de test. cap. 1. n. 3. Neque si in generali inquisitione talis inimicus adhibeatur et contra inimicum deponat, et minitantibus verbis ac inimicitia probatis, specialis inquisitio ex huius solius depositione non potest institui. Crus. de indiciis. 78. n. 3. multo minus ad torturam deueniendum. Bald. vol. 3. conf. 316.*

#### THESES. VI.

Probatis minis, si minitans non possit cautionem de non offendendo praestare, ad carcerem rapi eique mancipari debet, ne locus detur facinus animo ad persecutionem inductum exequendi, neque iudex eum inde dimittere potest, antequam desideratam et decretam cautionem minitatio praestet. Vbi si incarceratus tantum habet in bonis, unde alimenta et subinde sumtus carceris desumi possunt, de suis alendus est, ipseque de suis bonis sumtus carceris desumere debet. Et si fortean habeat bona sub alterius iurisdictione sita, ex illis desumi debet, quantum opus fuerit ad necessaria vitae subsidia, et erogandos sumtus incarcerationis; Magistratus autem vel Iudex ille, in cuius ditio-  
ne vel districtu bona incarcerati continentur, vi Sanctionis Carol. art. 176. obligatur non vetare, vel impedire, quo mi-  
nus

nus





nus ex illis opibus tantum, quantum necessitas et consuetudo loci requirit, ad praestandos sumtus alimentorum et carceris impendi debeat. Incarceratus, dum de suis se alere et sumtus carceris soluere tenetur, sibi imputet ipsi, quod periculosa comminatione causam dederit incarcerationi D. Clasenius *ad Sanct. crim. d. l.* Si vero minitator incarceratus facultatibus destitutus non habeat, vnde se alere possit, minitatus ipsi alimenta praebere tenebitur, *Sanct. crim. Carol. V. art. 176. v.* Und wo Er sich von sein selbst Gütern etc. Gilhauf. *ad d. art.* quod nec a iure communi alienum videtur, prout apparet ex traditis a Nicol. Boër. *decis. 103. n. 2.* Iason. *in l. si victum. 34. n. 2. d. re iudic.* Hippol. de Marsil. *in pract. crimin. §. attingam n. 74.* cum ad ipsius requisitionem minitator in carcerem coniectus est, inque eo detinetur, donec cautionem de non offendendo praestiterit; fitque haec detentio s. inclusio ad securitatem pro se, suis liberis et bonis; vt propterea nequeat detrectare tantum persoluere, quantum requiritur ad alendum incarceratum, et soluendos sumtus carceris, vel ad minimum de iis praestandis cauere debet iudici. Clasen. *d. l.* Quod si nec minitatus incarceratum ob inopiam exhibere eiue necessaria alimenta nec debitos sumtus subministrare valeat, nec habeat vnde alimenta praestet, iudici tum incumbere, ex fisco seu publico carceratum sustentare, satis apparet ex *d. art. 176. Sanct. crim. Carol. V. versj.* wo nun der Anfläger. Carpzou. *part. 4. c. 15. def. 10.* quoniam officio





Magistratus incumbit operam dare, vt in sua ciuitate, iurisdictione aut districtu hominibus cautum sit de securitate: vt proinde iudex, quod deest, suppleat. Clafen. *d. l.*

THESES. VII.

Ex carcere non aliter dimittitur Minator, quam si cautionem de non offendendo, seu conseruando pacem, praestet, quae etiam praestanda a minatore, etiamsi carceri nondum sit inclusus actione in factum peti potest, dum minitatus minas narrat ac probat periculum hinc imminens exaggerando. Potest etiam iudex ex officio, facta denunciatione parte citata de causa cognoscere; potest quoque absque vlllo iudicii strepitu ex relatione proborum hominum se informare, et si periculum in mora aut reus de fuga suspectus sit, a captura incipere, etiamsi dies sint festi atque feriati *arg. l. 3. C. de fer. Herculan. de caution. de non offendendo cap. 3. n. 11. 12.* Si vero reus latitat, et neque citatus comparet, nec sui copia haberi potest, iudex minatorem peremptorie citet, vel curet, vt citatio ad domum solitae habitationis eius insinuetur, vel in loco publico consueto affigatur, hunc ferme in modum: *Praecipimus tibi Titio, vt intra biduum coram nobis compareas ad cauendum et fideiubendum de non offendendo Meuium, sub poena mille Imperialium. Quod si cautionem praedictam non dederis, illam haberi volumus pro data, et ita ex nunc prout ex tunc declaramus. Sin vero te senseris grauatum, compareas,*



*iustitiam recepturus etc.* Fundatur hic procedendi modus in *l. cum postulassem 44. d. damn. infect.* et suadetur ab Herculano *d. l. cap. 5. n. 5.*

## THE S. VIII.

Eo tamen casu, quo quis minarum inculpatur seu potius accusatur, ne in carcerem detrudatur, potest petere spatium ad deducendam sui defensionem, ita tamen ut caueat de iudicio fisci et iudicatum solui, a iudex officium suum interponat, ac praeceptum det, ne vna vel altera pars quid moueat, iuxta not. per Bart. in *l. 1. §. 1. uti possidetis arg. l. 13. §. 3. vers. aequissimum de usufruct.* Bene agit Iudex, si quatenus ab vtraque forsan parte calumniae sint sparsae, quas secutae sunt minae, in originem et occasionem litigiorum, quoad fieri possit, curate inquireat, ne vna pars prae altera grauetur.

## THE S. IX.

Praestanda est cautio vel per pignora, vel per fideiussores Iul. Clar. *lib. 5. sentent. qu. 47. n. 5.* ea enim cautio demum sufficiens intelligitur, quae fit per fideiussores *cap. 13. ibi sufficiente securitate promissa X. de restit. spoliat.* Herculan. *de caut. de non offendend. c. 4. n. 3.* Petr. a Planca in *epitom. delict. lib. 1. c. 7. n. 2.* Farinac. *qu. 107. art. 4. n. 36.* Sint autem necesse est idonei, qui dantur fideiussores et ad





certam ac determinatam summam pro conditione personae et ponderatis circumstantiis ad 50. 100. 200. 300. et ad 1000. usque se obligent, Coler. *in decis. 29. c. 3. n. 86.* Carpz. *prax. crim. part. 3. qu. 112. n. 3.* ad summam, quam minitator determinat Iudex, ut minitator promittat, quod neque per alios, consanguinitate, affinitate aut amicitia sibi coniunctos, non solum ipsum principalem minitatum, sed et eius familiam, amicos, Magistratum, aliosue homines offendere, sed ab omni illicito et violento facto abstinere et ius suum, si quid habere putet, licitis iuris remediis prosequi velit. Farinac. *quaest. 107. n. 25. seq.* Berclich. *p. 4. concl. 22. n. 14. et 15.* Carpz. *pr. cr. qu. 37. n. 81.* Mev. *ad Ius Lubec. lib. 4. tit. 16. §. 4.*

#### THESES. X.

Praestet cautionem minator necesse est, etiamsi ille, qui petit sibi caueri, causam inimicitiae dederit, cum hac in cautione potius inspiciatur iustus timor, quam causa rixae, et semper in ciuitate eo tenditur, ut omnia sint tranquilla et pacata Bartol. *in l. qui bona fide ff. de damn. inf.* Ripa *in rubr. de iudic. potest. n. 14. vers. praemissa etiam.* Iul. Clar. *lib. 5. sentent. qu. 47. n. 4.*

#### THESES. IX.

Quid si nulla certa quantitas sit expressa in cautione, arbitrium statuendi summam penes Iudicem est, prout

vi-





visum fuerit ipsi, neque refugere eam potest fideiussor re-  
gerens, si eam sciisset antequam dictaretur haec summa,  
fidem suam nunquam interposuisset; sibi enim decet im-  
putare, quod indifferenter etiam non expressa summa fide-  
iusserit, cum facile scire potuerit in graui delicto non leuem  
summam locum habere, imo eo ipso, quo non expressa  
summa fideiussit, tacite promississe videtur eam se solutu-  
rum esse cautionem, quam Iudex, ponderatis omnibus  
circumstantiis, sit determinaturus v. Magnif. D. Struu. *Syn-  
tagm. iur. ciuil. exerc. 47. th. 39.* Richter. *vol. 2. consil. 371.  
n. 21.*

#### THE S. XII.

Quid si Minitator cautionem de non offendendo per  
fideiussores vel etiam pignora praestare non valeat, *num ad  
iuratoriam cautionem admitti debeat?* Salgado de Somosa.  
*part. 1. cap. fin. n. 1.* existimat, cautionem iuratoriam in  
causis arduis non admitti, etsi de paupertate et impoten-  
tia fideiubendi alias constet, add. Alexander. *in cons. 108.  
n. 10.* Exulet potius, vel ad auertendum periculum relegetur  
minitator, donec idoneam cautionem fideiussoriam vel  
pignoratitiam inuenerit. Tuschus *tom. 1. conclus. 169. n. 13.*  
Quemadmodum militem quendam ob minas contra perso-  
nam quandam illustrem eiectas, ante vicennium in arce  
Rochlizensi in carcere, donec vsque moreretur, deten-  
tum fuisse meminit Carpzou. *pr. cr. part. 1. qu. 37. n. 93.*  
quod





quod homines malae vitae et conditionis, quanto sint pauperiores, tanto etiam promptiores ad delinquendum, cum non timeant confiscationem bonorum, quae non habent, *Iul. Clar. lib. 5. sent. qu. 47. num. 5.*

THESES. XIII.

Verum, per exilium metus non tollitur, potius ob id magis excandescit eiusmodi homo, et quouis modo etiam per intermediam personam insidiari intendit; cum non facile relegatione coerceatur, qui malum propositum exequi intendit. Alii rem omnem arbitrio iudicis committi debere asserunt, ita ut ille, pro diuersitate circumstantiarum, praecipue personarum statuere debeat, an cum, an sine fideiussoribus cauendum sit? Nicol. Moronus, *de treuga fide et pace, qu. 170. n. 3.* cum Menoch. Herculân, et Vulp. Farinac. *qu. crim. 107. n. 39.* Meuius *ad Ius Lubecens. p. 4. tit. 16. art. 4. n. 19.* ubi dicit: iudicis esse, determinare, quae idonea sit cautio, inspecta qualitate minitatoris, minitati, et ipsarum minarum. D. Harprecht. *in diff. de caut. iuratoria th. 53.* ad informandam iudicis religionem ita distinguit; Vel ille, a quo haec cautio exigitur, est persona suspecta v. gr. rixosa malae famae et vitae, vnoque verbo talis, ut valde verendum sit, fore, ut ipse, non obstante iurata sua promissione, nihilominus minas a sese effusas sit executurus, et tunc utique iudex cautionem iuratoriam ab ipso oblatam haud attendet vel admittet, sed  
mit-

bou





mittendus eousque in carcerem, donec idonee cauere valeat, quod dicit Guazin. *def. 8.* aut in exilium, vti videtur Farinac. *d. qu. 107. n. 41.* vel ipse alioqui vir bonae famae et vitae est, et talis, vt non multum ab ipso metuendum sit; tunc equidem cautionem iuratoriam admittendam esse, recte asserere videtur cum Ripa et Clar. D. Stryk. *diss. de carcere ad custodiam c. 3. n. 11.* Sin vero Titius, optimae alias vitae et famae, ex calore iracundiae, vel in ebrietate tales minas effunderet, sane hoc in casu vix est, vt ille iuratoriae suae cautioni non sit committendus; et ita sentit Remus *ad Sanct. crim. art. 176. ibi: in paupere admittitur interdum cautio iuratoria, si sit bonae vocis et famae.* Sane si Minitatus ipsemet minitatori aliquo modo indulgere, eiusque cautioni iuratoriae fidere velit, tunc eo magis minitator, praestito iuramento dimittendus, quia cautio de non offendendo ius partis est, vt eo magis minitato ita volente talis cautio admitti debeat. Carpzou. *pr. crim. p. 1. qu. 37. n. 94.*

## THE S. XIV.

Hinc si inter Coniuges dissidia orta sint, et Maritus saeuens in mulierem maiora pericula et mortem minatus sit, ita vt haec ad separationem agat, ea non obtinetur, si satis det vel caueat maritus de amplius offendendo; antequam enim hoc fiat, vxor non tenetur ei cohabitare Carpzou. *Iurispr. Consistorial. lib. 2 tit. 12. def. 218. n. 12. et seqq.* quo casu, si neque fideiussoribus neque pignoribus pars nocens cauere possit, cautionem iuratoriam admittendam putant Coler. *p. 2. decis. 232. n. 4.* Richter. *vol. 2. consil.*





466. n. 3. eamque cautionem in Consistorio Studgardiano an. 1602. d. 25. Febr. admissam dicit Bidenbach. *promptuar. connub. c. 5. qu. 1.* ne videlicet maritus, pignoribus et fideiussoribus destitutus carere cogatur coniuge, cui fidem et humanitatem promittere et iurato quidem, est paratus. D. Bartili *diss. de separatione Cohabitationis th. 26.* Quod si tamen Maritus talis sit persona, cui satis tuto coniux fidere nec velit, nec possit, num iuratoria cautio sit admitenda, prudens iudex arbitrabitur Canis. *ad c. 2. X. de diuort. n. 3.* Couarruu. *in lib. 4. decretal. cap. 7. §. 5. num. 1.* Carpzou. *Iurispr. Consist. lib. 2. tit. 12. def. 219.*

C A P V T V. E T V L T I M V M

Q V A T E N V S

M I N A E I N D I C I V M F A C I A N T

A D T O R T V R A M.

S V M M A R I A.

- I. *In delictis perpetratis, si de autore non constet, minantia verba faciunt ad Inquisitionem, imo ad torturam indicium.*
- II. *Sola inimicitia capitalis absque concurrentibus aliis indiciis non faciunt indicium ad torturam.*
- III. *Quaenam sint requisita, ut minae ad torquendum sufficiant.*
- IV. *Quo modo minae homicidam faciunt suspectum, ut torqueri possit.*
- V. *Quid minae circa inuestigandum crimen Magiae operentur.*

T H E S. I.

**N**on minimus est effectus verborum minitantium (quae semper odium et inimicitias in se continent) quod in delictis commissis et quando de autore non  
con.



constat, tam ad inquisitionem, vt praesumptio sit contra mi-  
 nantem text. *in art. 25. Sanct. crim.* cum animus ac volun-  
 tas non solum ex rebus et factis, sed etiam ex verbis col-  
 ligatur, *l. 20. de acqu. vel. omitt. haeret.* neque credendum  
 sit, quod quis verbo exprimat id, quod prius mente non  
 cogitavit per *l. Labeo circ. fin. de suppellect. legat.* Weize-  
 negger. *dissert. 6. c. 7. n. 107.* quam ad torquendum faciant  
 indicium iuxta *l. metum C. quod metus caus.* Cynus *in l. un.*  
*C. si quis imperat. maledixerit.* Euerhard. *in Top. in loc. a*  
*tempore ad temp. n. 3.* Marsil. *cons. 3. n. 13.* vid. *Sanct. Crim.*  
*Carol. V. artic. 44.* ibi: Oder jemand zu bezaubern bedrauet,  
 e. gr. Ich wil dir gedencfen, ich wil dir einen rothen Hahn auf  
 das Haus setzen, das Messer im Leibe umwenden, vel alio  
 modo.

T H E S. II.

Equidem sola inimicitia capitalis non est sufficiens in-  
 dicio, vt specialis inquisitio institui possit contra inimi-  
 cum capitalem illius, qui v. gr. occisus est, neque de ipso  
 delicto examinari Brunnem. *in process. inquisit. cap. 4. §. 37.*  
 neque progredi potest Iudex ad Torturam. Zanger. *d. tor-*  
*tur. c. 2. n. 113.* quoniam talis inimicitia seorsim absque con-  
 currentibus aliis adminiculis confide-ata est indicium remo-  
 tum, et nimis fragile ad torquendum, raro aut nunquam  
 pro proquinquo et speciali Marsil. *cons. 72. n. 12.* Dissen-  
 tiente licet Crauett. *Consil. 612. n. 4.* vt proinde alia admi-  
 nicula et coniecturae adsint, si effectum torturae operari  
 debeant. Matth. Stephan. *ad artic. 25. Sanct. crimin. n. 7.*  
 Maximi enim praeiudicii res est tortura, ad quam non ita  
 facile ad inquisitionem properandum est. Manzius *ad d.*

F 2

*art.*





*art. 26. n. 3. Menoch. de praesumpt. lib. 1. praesf. 89. n. 51.  
Carpzou. pract. crim. qu. 120. num. 48.*

THESES. III.

Vt itaque minae et verba minitancia faciant torturae locum, requirunt DD. vid. Clasenius *in comment. ad Sanct. criminal. cent. V. art. 25. (1) vt facta sint ab eo, qui illa consuevit exequi.* Farinac. Brunus *in tract. de indic. et tortur. pag. 16.* Farinac. *tom. 1. oper. crimin. lib. 1. tit. 5. qu. 50. n. 30.* Saepe enim reperiuntur vani iactatores, qui quidem verbis, nescio quam vindictam spirant, minas tamen (vid. supra cap. 3. th. 4.) non exequuntur. Saepe quoque aliquis ex animi indignatione minitatur verba vindictae, a quibus tamen discusso animi feruore, postmodum abstinet, qualia non sufficiens indicium ad torturam faciunt, Farinac. *d. l. n. 14.* Mascard. *de probat. vol. 2. concl. 1062. n. 10.* Godelman. *lib. 3. c. 3. n. 16. et cap. 10. n. 17. in fin.* qui exemplum aliquod de foemina refert, quae propter has minas torturae subiecta, postea vero non a se, sed ab alio inimico impletas minas, innocens reperta fuit. Ita etiam Nicol. Boër. *decis. 166. n. 3.* scribit, quod mulier quaedam per fenestram prospiciens alicui praetereunti, quem odio prosequabatur, dixerit: Crura tibi succidi curabo breui: Quas minas cum alius quispiam osor illius, cui ea mulier minata fuerat, audisset, arrepta occasione vulneribus eundem confecerit: ipsam vero mulierem probatis illis minis captam fuisse, et tormentis suppositam, quorum cruciatu confessa sit, suo mandatu illi homini vulnera illata esse, proindeque ipsam supplicio fuisse affectam: at paulo post innocentiam eius

eius



eius detectam esse. Plura vid. ap. Iacob. Schultz. *voc. Minae*; Accedit quod verba comminatoria generaliter prolata in dubio debeant intelligi de vindicta, quae fit per viam iuris, non autem quae fit propria auctoritate Manzius *ad d. art. 25*. Quod si vero minae profectae sint ab eo, qui illas solitus fuit executioni dare, tum utique exinde indicium sumi potest ad torturam, cum primis si alia quaedam adhuc accedant, Gomez. *var. resolut. lib. 3. c. 13. n. 11*. (2) Si *minitator fuerit potens, homo malae famae in eodem genere malus*, ut praesumptio aduersus eum sit magna, quod ob ferociam animi, et morum improbitatem et amicitiam potentum, quorum favore fretus sub spe immunitatis temere delinquere solet, velit et possit suas minas ad effectum perducere. Nam cum sinistra quaedam de minis exequentis suspicio in talem hominem cadat, utique illa verba comminatoria contra ipsum operari possunt indicium ad torturam. (3) Si *minitator certam aliquam delicti speciem minitatus fuerit*, i. e. verba protulerit, quae certum et nominatum delictum contineant. Nam generales minae ad torturam, ut antea dictum est, indicium non faciunt, cum benigniore adhibita interpretatione in meliorem sensum ad auertendam torturam verti et trahi possint. Farinac. *d. qu. crim. 50. n. 18*. (4) Si *maleficium, quod quis alteri minatus est, reuera subsecutum fuerit*, et quidem in continenti, vel intra modicum tempus. Quodnam vero in proposito casu dicatur *modicum tempus* in iure definitum non est; unde illud relinquendum est arbitrio Iudicis. Hinc dicunt, quod breuitas temporis in similibus magnum habeat effectum ob praesumptionem doli et delicti. Secus est, si nota-





bile aliquod interuallum temporis interuenerit, eo namque casu minae ad torturam non faciunt indicium, Conrad. *in pract. in rubr. de negat. crimin. et torm. n. 24. col. 2. in fin.* Farinac. *d. qu. 50. n. 15. 16.* Clasen. *d. l.*

#### THESES. IV.

Si de occifore constat, is uero dicat, se homicidium ob defensionem commisisse, homicidium praesumitur deliberato patratum, ita minae praecedentes inducunt praesumptionem animi deliberati, et praesumi faciunt delictum subsequutum dolo et fraude minantis, et quod ex animi prauitate, et malignitate minas, et minatoria uerba protulerit *arg. text. in l. cum ratio, §. ex bonis ibi: fraudibus ff. de bon. damnat. et l. ex quodam iniuriandi proposito §. pen. et fin. ff. de seru. fugit.* Hinc Farinac. *quaest. crimin. quaest. 50. n. 2.* infert: Propterea si is, in quem minae fuerint illatae, reperiatur mortuus, et minans fateatur illum occidisse, sed in pura rixa, uel casu, praesumendum sit tale homicidium non casu, et in rixa, sed ex proposito, et deliberato patratum, Menoch. *de arbitr. iud. quaest. lib. 2. cas. 361. n. 39.* Mascard. *de probat. libr. 1. concl. 98. n. 6. et libr. 2. concl. 1017. n. 5. et 6.* Farinac. *d. l. ubi n. 8.* ampliat, ut minae faciant indicium ad torturam, non solum, quando sunt expresse de uulnerando, occidendo, aut aliter offendendo, sed etiam quando sunt tacite factae, et quodammodo per aenigma. *uid. Th 1 hui. cap. prolatae, ut per Gandin. in sit. d. praesunt. et indic. dubitat. sub n. 23.* Vbi ponit exemplum in eo, qui alteri minatur se uelle ei trahere unam pen-

pen-



pennam de ala, vel quod faciet sibi dolere caput, aut quid simile.

THESES. V.

Minae in imputato crimine Veneficii, Magiae faciunt indicium ad torturam *Sanct. criminal. art. 44.* si quis perniciem fuerit minatus alteri, quod ipsum incantare vel fascinare, et malum id, quod minatus aliquis est alteri, subsequatur, ibi: *Oder iemand zu bezaubern bedrauet, und dem Bedraueten dergleichen geschicht, add. d. art. 32.* ibi: *oder solche Missethat vor der Geschicht zu thun gedrauet hat.* Et hoc praesertim in Sagis erit recipiendum: Constat enim, quam foeminae natura sint vindictae cupidae. Quo enim imbecillior est mulierum natura, eo animus earum ad nocendum est paratior, iuxta illud:

*Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet  
Effrenis Monachus, plenaque fraudis anus.*

Et licet minae factum ipsum non probent, probant tamen inimicitias capitales, *Besold. in thesaur. pract. v. Hexen n. 2.* *Nic. Brand. dissert. de legitima maleficos et sagas inuestigandi et conuincendi ratione part. 2. th. 28.* Modo iuxta *d. art. 32.* persona talis sit, contra quam, se eiusmodi quaedam perpetrare, militat praesumptio, v. gr. si sit malae famae etc. de quibus supra dictum. Idem procedit, ac obseruatur in aliis delictis, vbi minae quid ad torturam facere possunt; Plura vid. apud *Farinac. in quaest. criminal. quaest. 50. per totam.* Plura respectu poenarum in eos, qui minas iactitant (quae arbitrariae sunt) dici possunt, sed hic subsisto.

CO-





COROLLARIA.

1. *Caveat Iudex ne nimis elicere studeat veritatem.*
2. *Cautelis honestis, nec ad decipiendum directis iudex uti potest.*
3. *Mulier ob dotem promissam, non vero solutam domo expelli non potest.*
4. *Vnius voluntate et poenitentia sponsalia de futuro dissolventur.*
5. *Non valet de Iure Sax. extraiudicialis pactio; ut donec integrum. pretium fuerit solutum hypothecae loco res vendita sit, neque beneficio huius hypothecae aliis creditoribus, posteriorem hypothecam iudicalem habentibus praefertur.*
6. *Rationes et libri Mercatorum probant pro allegante.*









